



LUDOVICVS Bauarię Dux, Rudolphi Imperatoris ex filia nepos, & Fridericus Austriae Dux, variantibus Electorum suffragiis, ambo Imperatores eliguntur anno mundi 5276. à Christo nato 1314. His varia fortuna sæpe congressis, tandem anno 8. victor Ludouicus, capto Friderico rerum potitur: sed cum se Imperatorem citra Papæ assensum scriberet, excommunicatur. nihilominus Mediolanū venit, ubi ferreā accipit coronā: deinde Romæ summo acceptus honore à Stephano Columnio coronatur. Petrum Corbariensem in Pontificem creat: & oppidis iuris Pontificij alios dedit præfectos, Pontificem æmulatus, cui & ipse Gallia Cisalpinæ multos autoritate sua Regulos præfecerat. Imperavit Ludouicus annos 33. sumendo initium imperij eius ab excessu, & fato venenato Henrici Lucelburgensis. Aemyl. lib. 8. Egna. lib. 3.

CAROLVS quartus Bohemus, Ioannis Lucelburgensis Bohemiae Regis, de quo dictum est supra in Henrico, filius, post Edoardum Anglum & Guntherū Cæsares electos, Cæsar quoque designatur: ad hūc Carolum res deuenit, altero subinde post alterum vita functo. Romę itaque coronam hac conditione accepit, vt confestim Italia excederet. laudem meruit ob Aureā bullam, in qua multa quæ ad pacem publicam pertinent, complexus est. Rerum Bohemicarum imprimis studiosus fuit: Pragæ gymnasium publicum instituit. obiit anno imperij 32. Venceslao filio prius Cæsare creato, promissa Electoribus pecunia, vectigalique imperij illis obligato. Vide vt supra.